



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

XXII. Hyperduliae species, Sabbatha B. Virgini sacra ieiunio venerari.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

thenia & Virginea legere & scribere
malint quàm Venerea Apuleiana, Ovi-
diana, à quibus incauta subinde iuuen-
tus miserè accenditur impurisque igni-
bus accensa ad ignes deuoluitur sempi-
ternos.

X X I I.

HYPERDVLIÆ SPECIES.

Sabbatha B. Virgini sacra
Ieiunio venerari.

S. I.

SABBATHA B. MARIÆ Virg. festa
sunt. Hinc Ecclesia Catholica Romana
quemuis Sabbathi diem, imò quouis
Sabbathi die Virginem; singularibus Ca-
nonicis precibus quas Officiū B. V. in
Sabbatho vocant itemq; singulâri Missâ
religiosâq; à carnibus abstinentia vene-
ratur. Henricus II. Angliæ Rex quouis
Sabbatho ab hora IX. in diem Lunæ
proximum, vt & singulis Deiparæ pro-
festis iustitium Anglis indixit.

Rogerius in Histor. Angl.

Lu-

Ludouicus II. Galliarum Rex die Sabbathi, ab hac mortali vita ad immortalitatem migrare discupijt, votique compos factus felicissime obiit, & ad immortales abiit Anno Christiano MDCCC LXXXIII. Mensis Augusti penultima in die Sabbathi.

B. Beneuenta S. Dominici tot religiosorum virorum Virginumq; Patris tot discipulorum discipularumque filia, alumna, discipula, quoduis Sabbathum pie coluit, ideoque noctu Sabbathum precedens caelestis symphonia delitio inundata est.

Balingh. in proem. Cal. Mar.

Neque mortales tantummodo, sed etiam immortales hoc eodem Sabbatho die Virginem singulariter venerati sunt. Angeli enim teste Nauarro in Manuali de Oratione, singulis diebus Sabbathi solennissimam hanc Encomiasticam, cuius initium est: Salve Regina &c. referuisse decantatam, verba eius sunt: Festina est olim in Ronca nostra valle Sabbathi

Nauar. c. 29.

bathis solitam ab Angelis cantari apud quendam fontem, qui inde fons Angelorum dictus est &c.

Anno Christiano 1000 ccc xc. in Hispania sub creperam vespere lucem, super quodam Serrati montis antro, quo recondita erat icon Mariana, delapsa caelo visa sunt ardere lumina auditique concentus Angelorum.

Balingh. in proem. Cal. Mar.

Anno Christiano 1000 lx. officium B. Virgidis à S. Ildefonso, deuotissimo eiusdem Virginis Mysta compositum fuit, quod & ipse suismet auribus Ildefonsus Officij huius Mariani scriptor & auctor usurpauit, suauissimè pijsimèq; ab Angelis decantatum. *Id. Ibid.*

Meritò igitur studiosus Angelorum æmulus Berchmannus (vtpote, qui dum viueret etiam dum in terris, Angelus audiit) Sabbathino inprimis ieiunio (quod Angelorum cibus est teste Chrysofomo) Angelorum Dominam veneratus. Nam etiam antequam Reli-
gio;

giosum statum complecteretur adble-
scens simul in Marianum sodalitiū
omnium approbatione Sodalium rela-
tus est omnibus Sabbathi diebus aliisq;
beatissimæ Virginis Mariæ peruigilijs
ieiunio eandem Virginem coluit.

Sed & aliàs sæpissime in domus an-
gulos dispersa, abditæque ientaculi fru-
sta reperta sunt, quibus ille in gratiam
Virginis genium suum defraudarat, imi-
tatus planè S. Nicolaum Tolentinarem
Sabbathis omnibus solo pane frigidâq;
contentum; imitatus est S. Elizabetham
Lusitanæ Reginam, Anno Christiano
MDCXXV. ab Urbano Papa V. san-
ctorum Syllabo canonicè insertam, imi-
tatus S. Didacum Franciscanæ familia
Religiosum pluresque id genus deuoti-
simos B. MARIAE VERNAS, quos recen-
sere longum, & reperire est passim in
sacris sanctorum fastis, nominatimque
in Antonij de Balinghem Mariano Ca-
lendario dilaudatos,

§. I I.

Primum Hyperdulcia premium

Fuit, quòd Berchmannus hoc suo ieiunio ad honorem Virginis piè suscepto fieri meruerit, cum Apostolis lucerna super candelabrum posita, imò cum Baptista Ioanne lucerna lucens & ardens. Nam teste Petro Chrysologo serm. 8. Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: Sic pietas facit splendere ieiunium & ad totum radiare continentię claritatem.

§. III.

Alterum Hyperdulcia premium

Fuit, quòd Berchmannus hoc suo ieiunio, Angelorum, vt diximus, cibo, facilius Angelicam suam castitatem, defensarit, & conseruarit, virtutumq; genus omne sibi compararit. Nam suffragante Chrysologo eodem: Ieiunium sci-

L mus

Serm. 12. m. & Serm. 32. m.

mus esse Dei arcem, Christi castra, mu-
rum spiritus, vexillum fidei, castitas
signum, sanctitatis tropæum; Ieiunium
est singulare sanctitatis aratrum, col-
corda, eradicat crimina, euellit delicta
vitia subruit, charitatem serit, copiam
nutrit, parat innocentem messem.

§. I V.

Tertium Hyperdulia primum

Fuit, quòd Berchmannus solenniter
Sabbatho ieiunans, in Societatem le-
sv hie militantem & illic triumphan-
tem Sabbatho admissus sit.

X X I I L

HYPERDVLIÆ SPECIES

Die Sabbathi B. M A R I

facro, varia pietatis opera
ad illius gloriam exer-
cere.

§. I